



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Venusinæ, postea Æsinatis, ac demùm  
Parmensis Ecclesiæ Vicarii Generalis, &c. Formularium  
legale practicum Fori Ecclesiastici**

in quo formulæ expeditionum usufrequentium de his, quae pertinent ... ;  
cum appendice plurium constitutionum apostolicarum

Formularii Legalis Practici Fori Ecclesiastici Supplementum - In Quo Non  
Solum Omnes Feré Formulæ, quæ in præcedentibus tribus Libris  
continentur, novis quamplurimis adnotationibus Legalibus Practicis, ac  
Sacrarum Congregationum Responsis roborantur; verùm etiam nonnullæ  
aliæ, quæ ad Operis ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1732**

Salviconducti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62442)

eo absente, suis Vicarius Generalis in causis appellationum causarum suffraganeorum in litteris compulsorialibus, comminari eisdem, quatenus non pareant, pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & aliarum censurarum, *Sacr. Congreg. Concilii in Massalubren. Jurisdictionis 26. Junii, & 18. Septembris 1688.*

207 Episcopus autem suffraganeus non potest carcerari facere Clericum sibi subditum in Diœcesi Archiepiscopi, & eo inconsulto: imò si hoc faceret mediante imploratione Brachii Judicis Sæcularis, teneretur ad refectionem damnorum, & interesse, per carceratum passa, *Sacr. Congreg. Concilii in Januen. 18. Novemb. 1702.*

*Eod. tit. form. 13. pag. 253.*

208 Num. 5. Quod Hebræi gaudeant immunitate Ecclesiæ, intelligi debet in delictis, quæ non sapiunt hæresim, cæterum blasphemias proferentes contra Jesum Christum, vel B. Mariam Virginem ejus Matrem, immunitate non debent gaudere, sed ab Ecclesia, & locis immunitatis, ad quam, seu ad quos confugiunt, extrahi poterunt mandato Episcopi, & pœna hæreticorum puniri, ut plenè probant *Pignatell. consult. 143. à num. 1. & per tot. tom. 8.*

*Eod. tit. form. 14. pag. 255.*

209 Num. 3. Ne confugiti discedentes à loco immuni incidant in manus Curie Lincæ, adhibetur cautela Salvi conductus, qui si ab Episcopo concedatur, poterit concipi modo sequenti.

### FORMULA

*Salviconductus.*

N. Episcopus N.

**T**ibi N. in loco immuni N. confugito, ut ab eo liberè discedere, & ad alium locum pariter immunem tuto (absque tamen vagatione per loca publica) intra ..... dies accedere, & te

recipere, ac transferre possis, publicam fidem, & plenam securitatem, quam salviconductum appellant, cum omnibus clausulis necessariis, & opportunis, etiamsi specialiter, & non per verba generalia exprimi deberent, quæ pro expressis haberi volumus, damus, concedimus, & impartimur: inhibentes omnibus, & singulis Judicibus, Magistratibus, & personis, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis cujusvis conditionis, dignitatis, & Status existant, ne tibi stanti, recedenti, & ad alium locum immunem commigranti, ullum gravamen, aut præjudicium inferant, nec ab aliquo quoquo modo inferri permittant, vel te arrestari, seu capi, & carcerari faciant, aut præsumant sub quovis prætextu: alioquin adversus contrarium facientes, aut fieri mandantes, & permittentes, tanquam violatores, & perturbatores immunitatis Ecclesiasticæ ad Censuras à Sacr. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis comminatas procedetur. In quorum fidem præsentis nostra manu signavimus, & sigillo quo utimur in similibus, muniti, & in nostra Cancellaria registrari mandavimus. Datum, &c.

N. Episcopus N.

Locus \* Sigilli.

N. Cancellarius.

### ADNOTATIONES.

**I**N concessione salviconductus, plura advertenda sunt. Primò, quod debet subscribi ab ipsomet Episcopo, non à Vicario, nisi in casu quo Episcopus esset absens in remotis. Secundo, debet habere sigillum, & registrari in Cancellaria, ut de praxi testatur *Raynald. observ. crim. tom. 3. cap. 33. §. 4. num. 1.* Tertio, quod habens salvum conductum, si delinquat, ipso jure eo privatus remanet, nec salviconductus servari debet, quia dicitur abuti, & concedentem offendere, ut probat *Conciol. resolut. crim. verb. Salviconductus resol. 6. num. 2.* Quod est verum si de-